

Order of Saint Lazarus: Primary sources

Frederic II, King of Jerusalem and Sicily. Confirmation document of grant originally made by Humphrey IV of Tortona in 1183 made to 'frater Gualteris de Novo Castello, magister domus Sancti Lazari in Jerusalem' dated October 1228. OSML/MA: Ms. fol.11 verso

- Transcribed in: A. de Marsy [ed.]. Fragment d'un Cartulaire de l'Ordre de Saint-Lazare en Terre Sainte. Archives de l'Orient latin, Ernest Leroux, Paris, Vol.2, 1884, no.II, p.121-163
- Transcribed in: Charles Savona-Ventura. The Order of Saint Lazarus in the Holy Land. Grand Priory of the Maltese Islands - MHOSLI, Malta, 2011.

x.1228 Acre	Emperor Frederic II, king of Jerusalem and Sicily	Confirmation made at the request of William of Chateaufort master of the house of St. Lazarus of Jerusalem of the grant of made by Humphrey IV of Toron to the house of St. Lazarus in 1183 [vide previous document].
----------------	---	---

Fridericus, divina favente clementia, Romanorum Imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Inter cetera pietatis opera que in sacrosanctis ecclesiis et in locis piis obtentu divini culminis ab imperiali magnificentia conceduntur ea potissimum placere altissimo credimus beneficia que sacre domui Sancti Lazari pio dispensatoris oculos conferuntur. Universis igitur tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod frater Gualteris de Novo Castello, magister domus Sancti Lazari in Jerusalem et conventus ejusdem domus devoti fideles nostri quoddam privilegium, quod olim Haimfridus, Haimfridi juvenis filius, cum consensu et voluntate Rainaldi principis, domini sui, domui predicte concessit, nostre celsitudini presentarunt, devote satis et humiliter supplicantes ut privilegium ipsum innovari et que continentur in ipso sibi et eorum predicti domui Sancti Lazari concedere et confirmare de nostre pietatis gratia dignaremur, cujus privilegii tenor talis est. Horum autem magistri et conventus predictorum devotis supplicationibus inclinati, attendentes quidem quod quamcumque benignitatis gratiam ad ipsos effundimus, tam pro suo et infirmorum usu qui in eadem domo morantur devote Domino famulando, ipsi regi regum omnium exhibemus, de cujus munere feliciter vivimus et regnamus, predictum privilegium sicut de verbo ad verbum superius scriptum est, jussimus innovari et que continentur in eo supradictis magistro et successoribus eorum ac prephate domui Sancti Lazari, de gratia pietatis nostre concedimus ac perpetuo confirmamus. Ut autem hujusmodi

concessio et confirmatio nostra rata semper et inconvulsa permaneat, presens privilegium fieri et bulla aurea, tipario nostre magestatis impressa, jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt: Baltanus, dominus Sidonis; Odo de Montebeliard, comestabilis; Johannes de Hibelino; Guarnerius Alemannus et alii quamplures. Acta sunt hec anno Domini M CC XX VIII, mense octobris, secunde indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia, invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege. Anno Romani imperii ejus octavo, regni Jerusalem tertio, regni vero Sicilie tricesimo primo, feliciter, amen. Datum apud Accon, anno mense et indictione prescriptis.